



00
Kr

2947
Am

I. N. 7.

27

27

PHYSICÆ CURIOSÆ
ET UTILIS
MISCELLANEA,

Publico exposita examini,

PRÆSIDE

JOH. JACOBO

Waldschmidt /

Serenissimi Hæssia Principis

Medico Cubiculari & Professore Or-

dinario : p. t. Academiae


RECTORE.

RESPONDENTE

DAN. HENRICO Hautel /

MARBURGENSEI HASSO.

Ad diem 20. Junii H. L. Q. S.



Marburgi Cattorum,

Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII, 1685.



75

SOLI DEO

Omni genæ Salutis ac prosperitatis fonti

Sacræ hæ sunt
paginae



PHYSICÆ CURIOSÆ ET UTILIS
MISCELLANEA.

T H E S. I.

Vita Plantarum consistit in earundem legitima
textura, constanti pororum integritate &
succu alibilis à materia ætherea agitati pe-
renni per tubulos distributione.

PLantas inter corpora viventia referimus, quia cum
animatis corporibus hoc commune habent, quod
æquè nutriantur & augeantur, suisque organis in-
structa sint, mediantibus quibus succus alibilis dige-
ri & dispensari possit: succus enim nutritius à calore
agitatus impellitur è tellure in radices, ex his provehitur per
tubulos & poros ad summitates usque, illudque non solùm re-
staurat quod singulis momentis tenues abit in auras, sed no-
vum quoque incrementum superaddit. Quemadmodum
autem diversitas Plantarum in alia atque alia textura particu-
larum illas constituentium consistit, ita ipse etiam succus ali-
bilis diversæ est indolis, quatenus non solum plus vel minus à
calore agitur, sed quatenus etiam è diversis patticulis, alius
nempe figuræ & magnitudinis, componitur, ut perquam facile
dari possit ratio, quare una eademque planta hoc in solo mar-
cescat in aliò verò crescat & germinet: & quomodo diversi
generis plantæ ex eadem nutriantur terra; quippe hæc cum



aliis plantarum affectionibus & qualitatibus per pororum configurationem & particularum situm motum & magnitudinem quotidie explicamus. Quod si nunc quæras, quid igitur intelligamus per animam vegetativam? dicimus eam esse ignem tantum calidum plantarum seminibus inexistentem; qui author fit motus & fermentationis, omnesq; partes secundum leges naturæ ita disponat, ut certæ plantæ species inde nascatur: sin verò ipsum succum nutritium ab æthere agitatam animam vocare velis, facile me consentientem habebis; cum diversis utamur terminis, & tamen idem dicamus.

ANTITHESIS.

Plantæ vivunt per animam vegetativam, quæ est ipsarum forma, dans esse, distingui & operari.

Peripatetici formæ substantiali varias tribuunt facultates; auatricem, nutricem, alteratricem, attractricem &c. mediantibus quibus forma agat in materia, ita ut spiritus etiam poris figuris & motu particularum semper ad formam substantialem tanquam alterum regni vegetabilis Phœbum confugiant. Cum autem ipsis statim in limine lis mota esset de existentia hujus idoli, novam quæsierunt elabendi rimam, ipsisque plantis inclinationem & appetitum tribuerunt, prætendentes, non posse ejusmodi facultates à modis corporis dependere, sed necessario admittendam esse animam quandam vegetativam, quæ tales in plantis edat operationes. Verum enim verò! Cl. Claubergius invenit huic nodo cuneum, qui jam dudum omnes circa hoc negotium subortas difficultates diluit, solidissimis ostendens rationibus, fictam hanc cognitionem naturalem ficulneo & fragili niti fundamento: Quis enim dicet, plantas ad sui conservationem inclinare, quamlibet

¶ 5 ¶

bet sibi simile appetere, & succum nutritium attrahere? Cognitio certè non nisi in mente esse potest: neque quis eam aliter animo concipere potest quam intellectum vel mentem aliquam. Aut enim cognitio illa naturalis erit discursiva, aut non discursiva; quicquid hinc elegeris crucem tibi figet, ut in conflictu experieris. Itaque missis his figmentis, solum motum localem formam essentialem esse rectius statuimus; qui secundum leges naturæ omnia disponens suum cuique tribuit, & substantias aliter atque aliter modificat; Hinc est, quod natura h. e. motus, figura, magnitudo & situs particularum, divinæ rationis ductum infallibili necessitate sequatur: Nam opus naturæ est opus intelligentiæ non errantis, & agit hic motus ex necessitate citra ullam cognitionem, haut secus ac sagitta à perito sagittario dirigitur ad scopum, quem tamen ipsa minimè cognoscit.

T H E S I S II.

Omnes plantæ ex certo nascuntur semine.

Quicquid enim generatur, ex semine generatur. Et licet quædam ex nullo semine nasci videantur, semine tamen suo non carent.

A N T I T H E S I S.

Datur spontaneus plantarum ortus.

Multùm diuque in hac parte laborarunt scholastici, ut explicarent plantarum ortum spontaneum in terra putrida, ruderibus murorum, aliisque in locis sterilibus. Verùm incassum. Semina plantarum deferuntur vel à vento; vel ab avibus deponuntur; vel cum imbre depluunt, vel in ipso limo delitescunt, donec supervenientem proportionato calore germinare incipiant.

THESIS III.

Anima brutorum est subtilior sanguinis pars, cum omnes illorum actiones sint merè automaticæ, ita ut bruta non tam agant, quàm agantur.

PER sanguinem intelligimus liquorem tam vitalem quàm animalem, sive spiritus vitales & animales, quorum il li vitam & calorem, hi motum & sensum dare dicuntur; Et prout hi posteriores ab obiectis tam externis quàm internis aliter atque aliter determinantur, ita variis quoque animal cietur motibus citra ullam aliquam cognitionem sensualem, quæ eodem cum naturali laborat morbo, quem NON ENS vocare solemus: id quod probatum ibimus. Nemo autem inficiabitur, quod omnis res sit vel substantia cogitans, vel extensa, vel modus substantiæ: sed quò cognitionem referre possint nò video, nisi ad ipsam substantiam cogitantem, quæ per cogitationem vel tò cogitare est id quod est. Res autem extensa nunquam capax esse potest cognitionis, quia in materiam non cadit, nec cadere potest; nonne enim rem extensam clare & distinctè concipio, non conceptâ cogitatione, ipsamque cogitationem concipio sine extensione. Quid! an fortè figura rotunda vel quadrata erit dubitatio, affirmatio aut negatio: an fortè motus erit passio amoris, tristitiæ, lætitiæ, aut doloris? Nugæ! Stat ferreum hoc & plusquam adamantinum argumentum, de ponte nunquam dejiciendum. Si bruta cogitant, tum cogitatio aut est de essentia materiæ; aut est proprietas materiæ: aut est modus materiæ: sed neutrum dici potest. Ergo bruta non cogitant & consequenter non sentiunt, neque animam habent sensitivam. Minorem probo. Cogitatio non est de essentia materiæ, aliàs
omne

omne statim quod esset materiale etiam cogitaret. Neque cogitatio poterit dici proprietas materiae, quia non omni materiae competit. Neque tandem erit modus substantiam afficiens: illud enim est modus rei, quod sine subjecto cuius est modus intelligi nequit: Ego autem intelligo quid cogitatio vel perceptio sit, quamvis non simul concipiam rem extensam, imò quamvis etiam negem dari ullam aliquam rem extensam in rerum natura. Profectò hoc argumentum tanto pollet robore, ut omnes mihi eximere possit scrupulos, quos in contemplandis brutorum actionibus quandoque suboriri deprehendo. Equidem diffiteri nolo, quod si quis brutorum actiones sub examen vocare velit, nulla habità ratione naturæ rerum, ipsum plures reperturum, quæ primò statim intuitu aliquam cognitionem in volvere videantur, præsertim si saltem comparisonem instituere velit inter motus, qui in suo fiunt corpore, & cogitationem pedissequam habent, & inter motus quos in brutis cieri videt. Non autem ad verum lydiū lapidem hanc controversiam expendat: quæ falsa demonstrandi ratio plures fortè in hunc de brutorum cognitione errorè præcipitavit: quos ut declinare possimus attendere est.

2. Illa anima brutorum facultate cognoscendi prædita aut erit materialis aut immaterialis. Si est immaterialis, tunc erit res cogitans, in essentia cum omnibus spiritibus conveniens. Si est materialis non poterit omnes partes informare, nisi penetrationem dimensionum admittere velit: Nam ubi punctum erit corporis organici, ibi non poterit esse punctum formæ informantis materialis, ergò plures erunt partes quæ non infirmantur.

3. Occurrit argumentum priori non minus efficax, quo le Grand quoque utitur. Si bruta cogitant, aut tota cogitatio recipitur in tota materia, aut tota in exiguis materiae partibus, aut singulæ perceptionis partes in singulis materiae partibus recipiuntur. Si tota anima objecti speciem

admit-

admittit, quomodo sensus distinguuntur? cum sic in quolibet
 ejus puncto rerum species effigientur. Si singulæ partes to-
 tam objecti imaginem admittant, necessum est, ut unum ma-
 teriæ percipientis punctum innumeras objecti species con-
 templetur, & id æquet objectum, à quo infinitis propemo-
 dum vicibus superatur, quod nemo cui sanum est cerebrum
 dicet? Nam quæ fieri potest, ut monas una physica quæ mini-
 ma existimatur esse materiæ particula expansi alicujus objecti
 & varii coloris tincti, integram imaginem recipiat? sin demum
 dicas, singulas materiæ partes singulis perceptionis partibus
 respondere, sequetur, totum objectum nunquam percipi pos-
 se, quid enim super erit, quod totum objectum percipiat & de
 eo judicium ferat, cum jam omnes percipientis partes singulas
 imaginis objecti partes admiserint. Quod si 4. bruta cogni-
 tione quadam prædita essent, etiam verbis, cum omnia orga-
 na ad voces formandas habeant, vel saltem signis, cogitatio-
 nes suas nobiscum communicarent; vel saltem ad ea, de qui-
 bus interrogarentur, appositè responderent: id quod hæctenus
 nunquam observari potuit. 5. Si datur cognitio sensualis, in
 quo quæso differt ab intellectuali? an in eo, quod sensus cogni-
 tio sit simplex & apprehensiva cognitio, nulli falsitati obnoxia;
 cognitio autem rationis sit paulo magis composita discursiva
 & reflexiva? Verùm quis non videt, ipsa bruta sic nobis fore
 perfectiora, quoniam ipsarum cognitio propiùs accedit ad Dei
 & angelorum cognitionem, quàm ratio humana. 6. Facul-
 tas illa cognoscendi vel cogitandi in brutis angustis inclusa esset
 carceribus quia in ipsis brutis terminatur; haberent ergo cogi-
 tandi facultatē propter se, cum creatorem suū non agnoscant,
 in ejus amorem & laudes ferantur. Sunt itaque à Deo alic-
 nata, & sibi soli cogitant, hoc est sunt peccato contaminata,
 juxta *Sanctum Augustinum* dicentem: peccatum esse averfio-
 nem à Deo & conversionem ad creaturas. Sic bruta edunt,
 bibunt

bibunt, fruuntur terræ bonis, student suis commodis, se tuentur; præterea nihil. 7. Si bruta habent animam cogitantem, Deus arguitur & inconstantiæ & iniustitiæ, cum tamen sit summè justus, summè constans & misericors. Nam annihilat formam brutorum, corpus autem ab annihilatione vindicat. Deinde videmus arbores cædi, frangi, uri, comburi; sed hæc omnia iustissimè, quia non sentiunt: bruta autem eadem imo graviora subeunt pericula, sicque essent creaturæ omnium miserrimæ atque abjectissimæ, quia mala sua sentiunt percipiunt atque cognoscunt. 8. Si animæ brutorum intereunt, & tamen cogitant, quàm facilè quæso poterit per hanc sententiam convelli tener animus, ut credat, & nostram animã fore mortalem, cuius tamen immortalitatem ut ex lumine naturæ demonstramus, omnem movere deberemus lapidem; quæ occasio penitus per hanc peripateticorum sententiam præscinditur. Et 9. quid multis opus est. Si plurimæ actiones in nobis fiunt sine cogitatione, à sola determinatione objectorum proficiscentes, quidni fieri poterunt adhuc plures in ipsis brutis? Vide Tractatum Gallico idiomate conscriptum *l'ame des Bestes: & Dar Manson in libello inscripto: La beste transformée en Machine.*

ANTITHESIS.

Bruta non sunt automata, sed sunt corpora viventia. Sunt substantiæ cognitione sensuali præditæ; cognoscunt, sentiunt, percipiunt.

UT hanc suam assertionem plausibilem reddant, varia corradere solent adversarii argumenta, quibus recentiorum & veriorum de anima brutorum sententiam vulgo exolam ridiculam & absurdam reddere conantur. Perlustrabimus ea ordine eò, quò nobis hâc vice occurrunt. Et quidem *Achilles*

B

les

les audit *argumentum*, quod in prima hic ponimus acie. Bruta perfectiora, dicunt, sentiunt, ergò percipiunt: Ecquis inficiabitur, illa videre, audire, olfacere & gustare, cum tales ipsorum actiones quotidie oculis nostris usurpemus. Eligunt pastum, discernunt foetidum, purum ab impuro segregant. Prudentiam quandam animadvertimus in canibus, simiis: astutiam in vulpe; metum in ovibus ex aspectu lupi, ex intuitu canis in lepore, in gallinis approximante milvo; in cane furente frustrum carnis fugam propter periculum. Studium salutis & tutelæ ab incommodis observamus ferè in omnibus: apes regem suum sequuntur, auscultant ejus nutibus, redeunt è locis remotis ad alvearia, sepeliunt mortuos, locant veteranos in praesidiis, ceu milites stationarios, dum interea juniores vegetæ adhuc & alacres excurrunt, mel in pratis colligunt, & improbo labore domum referunt; Et quis omnes istas brutorum actiones, totidem prudentiæ & cognitionis argumenta, in digitos mittere poterit? vide sis *P. Pardies in peculiari de brutorum actionibus libello*. R. Ita quidem est, uti jam supra monui. Si cum homine philosophiæ ignaro agendum sit, vix impelli poterit, ut credat hanc actionum varietatem à determinationibus ab objectis factis, & artificiosa partium organicarum dispositione dependere, propterea quod non attendat, etiam in proprio suo corpore similes edi actiones, ad quas anima rationalis non concurrat, quæque absque omni cogitatione peragantur. Sin vero cum philosopho hæc componenda sit, nullus dubito, quin facile eò redigi possit, ut vel invitus concedat, duo saltem dari rerum genera, qualia sunt res cogitantes & res extensæ. Itaq; cum bruta non inter res cogitantes sed extensas referri possint, nequaquam poterunt cognitione esse prædita, & saltem improprie sentire dicuntur, quatenus motus ab objectis impressis in ipsorum organis recipiuntur, non autem percipiuntur: Sentire enim propriè dicit conscium esse, id quod

quod de brutis dici nequit. Atque prout cerebrum in brutis ipsique spiritus animales variè ab objectis afficiuntur, ita variæ quoque in illis fiunt actiones, variique cientur motus: Cœterum! quod illas attinet actiones, quæ cuilibet speciei propriæ sunt, quæque ab instinctu naturali proficiscuntur, facile quidem largimur, quod cognitionem præsupponant, sed non in bruto, verum in Creatore, in ente illo perfectissimo, cuius sapientiam & omnipotentiam devote veneramur in brutis, quod ipsorum corpora tam affabrè fabricaverit, totque organis instruxerit, ut pro instituti varietate varias easque admirandas edant actiones, nosque doceant, opera illa naturæ esse opera intelligentiæ. Nam quod bruta ad certa objecta accedant, ad aliorum autem præsentiam fugiant, seque conservare & tueri velle appareant, id inde est, quod videlicet ab objectis diversimode afficiantur, ipsorumque cerebrum ita sit dispositum, ut pro objecti conditione tales in cerebro aperiantur pori, per quos spiritus animales ad illas torrentis instar tunc ruant partés, quarum motus pro tutela obtinenda & incommodis avertendis necessarii sunt: Sic radii luminæ adventante jam lupo ita ab ejus superficie reflectuntur versus oculos ovis, ut occasione hujus motus vel impressionis ad cerebrum usque continuatæ tales in eo aperiantur pori, per quos & mediantibus quibus spiritus animales determinantur statim, ut eas inflent & irradiant partes, quas ad fugam capessendam moveri necesse est. Et dum lupo eam citato insequitur cursu, id non fit propter cognitionem, sed solius naturæ instinctu citra ullam aliquam cogitationem, quatenus nervi in ventriculo vellicati novam cerebro invehunt dispositionem, ut prædam quærat, lumen autem ab ovo reflexum, ut eam prosequatur. Pari ratione apes agunt; nempe colligunt nel ex instinctu, non vero instituto, efferunt mortuos à quorum odore afficiuntur; annosæ domi latent ob spirituum pau-



pertatem & inertiam: regis ad exemplum componuntur omnes, cum is solus inter farnellarum miriades regnet mas. *Dices*: nonne Deus perfectioribus animantibus id privilegium concedere potuit, ut innata gaudeant cognitione, non obstante quod ipsorum animæ sint materiales. *R.* Ego non determinabo quid Deus possit. Sed dico, quod tale quid non velit, quia naturas rerum non evertit. Et desiderarem scire, an talis creatura esset res simplex an composita? Non poterit enim esse simplex, quia ex re extensa & cogitante componeretur: quod si res illa extensa cogitaret, constaret simul etiam ex re immateriali, quicquid enim cogitat est immateriale, & ideæ cogitationis & extensionis sunt planè diversæ, neque una ab alia dependet: Imò idem esset, ac si dicerem, unum idemque subjectum duas diversas habere naturas, quod citra manifestam contradictionem de subjecto simplici dici nequit. Verbo! Quid opus erit hoc difficultatum mare ingredi. Nonne enim videmus, tales hodierno tempore fabricari machinas, tanto instructas apparatu, ut facile imponi posset credulis, illas vivere & sentire, cum ad contactum clament, progrediantur, eant, redeant, variæ in illis moveantur partes: quidni plura præstare poterunt bruta, cum infinitis gaudeant organis pro innumeris motibus instituendis: Et si Deus faceret machinam bruto per omnia similem, sufficientique organorum apparatu & textura instructam, ita ut bruti alicujus v. g. canis actiones & passiones exprimere posset, ea saltem intercedente differentia, quod in hac machina motus cum nulla cogitatione aut aliquo proposito sint conjuncti, sed quod tantum per objectorum actionem & cerebri aliarumque partium admirandam fabricam certumque spirituum cursum conserventur. Hæc si inter plurimos poneretur canes, in quibus motus cum cogitatione fieri dixisti, quibus, quæso! signis eam ab illis distingues. Nullis profectò: è quo palam fit,

solùm

solùm organorum apparatus edendis omnibus brutorum actionibus & exprimendis eorum passionibus parem & sufficientem esse. Videtur tamen excipi posse, quod si machina talis imitaretur actiones hominis, propterea tamen non sequi, hominem carere anima cogitante. Verùm ictum hunc jam dudum pro me excepit *Cartesius*, cujus verba hic ex *dissert. de Method.* apponere non pœnitebit. Duo sunt, *dicit*, quæ nobis indicant, naturam talis machinæ longè à natura nostra differre. 1. Quamvis enim aliqua profert vocabula, & si tangatur, clamet, nos ipsam lædere &c. tamen impossibile erit, ad omnia appositè respondere, quæ coràm ipsa proferentur, sicque viderem illam nunquam sermonis usum habituram. 2. Posito, tales machinas multa æquè ac nos, imò etiam perfectiùs facere, in quibusdam tamen aliis aberrabunt, ita ut videamus, eas cum ratione non agere, sed solummodo ex organorum dispositione: ratio enim est instrumentum universale, quod in omni occasione usui esse potest. Hæc duplici viâ agnosci etiam potest discrimen quod inter homines & bruta intercedit; observatu enim dignum est, nullos reperiri homines adeò hebetes ac stupidos, ne amentibus quidem exceptis, ut non possint diversas voces aptè construere, atque ex iis orationem componere, qua cogitationes suas patefaciant: Contrà verùm nullum esse aliud animal, quantumvis perfectum, quod simile quidquam faciat. Hocque ex organorum defectu non contingit; videmus enim picas & psittacos easdem quas nos voces proferre, nec tamen sicut nos loqui posse, hoc est, ita, ut ostendant, se intelligere quid dicant. Cum nihilominus surdi & muti, sicque non minùs, sed magis, quàm bruta, destituti organis, quibus alii in loquendo utuntur, soleant propriâ industriâ quædam signa invenire, quibus mentem suam aperiant iis quibuscum versantur &c. Sed veterem iterùm occurrunt cantilenam, semper distinguentes inter cognitionem



sensualem & intellectualem, hanc in materiam nunquam cadere posse concedunt, illam autem, si non omnibus, saltē perfectioribus brutis, datam esse, asserunt: Atque instantiæ loco philosophum introducunt, qui quamvis argumentandi methodum in scholis peripateticorum non didicerit, à natura tamen alma matre habet, quod syllogismos facere possit, canem volo in bivio aut trivio cōstitutum, dum vel heri sui vel leporis premit vestigia, & vi cognitionis istius sensualis qua præditus est, hunc in modum argumentatur. Herus meus non ivit per alteram viam, nulla enim ibi sentio miasinata, & tamen unam ex his duabus viis ingressus est, igitur sequar illum per hanc, cui effluvia quædam impressa esse naribus exploratum habeo. Vel hunc in modum: lepus per unam ex his tribus viis elapsus est; sed neque per hanc, neque per illam. Ergo per tertiam aufugit. Profectò hæc omnia satis acutè dicuntur. Verum quis non videt hoc hominis esse ratiocinium. Hinc rectiùs dicitur, canem herum non sequi per viam quam herus non calcavit, non, quod fortè cognoscat, illum eò non ivisse, sed quod à vestigiorum odore ibidem non moveatur, dum è contra in alterâ viâ ab effluviis gramini & terræ afflatis spiritus animales ita determinantur, ut influxu suo canem per hanc viam propellant vel abripiant, & non per illam.

Excipiunt. Canes recordantur illati damni, ergo præditi sunt cognitione. &. Hoc fit propter memoriam, qua polent; sive propter vestigia cerebro antea impressa, hæc enim spiritus animales faciliè invitant, ut quando ab eodem objecto vi luminis ab eo reflexi fibrillas tum oculi tum cerebri afficiente ad excursionem determinantur, faciliè eadem legant in cerebro vestigia, & glandulam pinealem pristino quoque agitent more, ut necessario eadem producat passio. Omnium enim passionum causa est agitatio, quâ spiritus animales glandulam cient, ex cujus agitationis inæqualitate, & partium spirituum

rituum animalium, è quibus constant, varietate, ipsi spiritus in musculos diversimode deducuntur, & diversas affectiones inducunt. Quando itaque spiritus, qui rei alicujus ideam constituunt, semel sibi viam delinearunt, atque inter filamenta, ex quibus cerebri substantia componitur, se intruserunt, non tanta vis postmodum requiritur, quàm secunda vice adstringantur ad istam viam repetendam, quanta opus fuit, ut illam sibi primò pararent: quo fit, ut quando similis species super glandula effingatur, spiritibus sola facilitas, quam per primam suam orbitam pergendi inveniunt, suffectura sit, ut eam rursus ingrediantur; adeoque mirum non sit, si canis v. g. ob damnum ab homine aliquo illatum, illum postmodum intueri non valeat, ut non damni idea illicò occurrat, & ad fugam vel allatratum concitetur.

Alterum argumentum priori viribus non inferius à quorundam animalium docilitate desumitur: sed quis nescit, docilitatem inferre cognitionem, quicquid enim capax doctrinæ, cognitione præditum sit oportet. &c. Bruta nihil sciunt, nec aliquid præter motus locales in illis reperitur. Sic psittacus propriè non loquitur, sed Trachea & respirationis organa ab influxu spirituum ita disponuntur, ut aer expulsus talem edat sonum & strepitum, id quod non magis cognitionis index est, quam si rupibus tale quid tribuere velimus, eo quod Echo producant. Nulla enim bruta reperiuntur, quæ facultatem loquendi obtineant, etsi apparatu ad voces formandas sint instructa, quia loqui est cogitationes suas per certas voces aliis revelare, quod de brutis nunquam dici poterit. Docilitas autem in eo saltem consistit, quod aer à certorum verborum prolatione commotus aures afficiat, & consequenter cerebrum, ita ut tales pori in eo aperiantur, per quos spiritus nervos, asperæ arteriæ & respirationis organis insertos, ingrediantur, & repetita sæpius hac impressione ita tandem assuescant, ut

occa-

occasione objecti alicujus externi vel interni v. g. famis ita in partes illas influant, easque inflent, ut aer vi protrusus sonum certorum verborum producat. Neque enim hoc cognitionē arguit, quando bruta diversos edunt clamores, quin potius dicendum est, hos à diversis motibus in sanguine & spiritibus excitari, non enim propterea clamamus, quia mente præditi sumus, sed quia pulmones habemus. Quod si mecum perpendere velis, bruta verberibus, fame, & pastu cogi, ut certis actionibus, quas plurimi cognitioni in acceptis referunt, asuescant, palā fiet, nihil in illis reperiri præter motus, à duobus objectis antea excitatos, quorum unum, altero non amplius præsentente, tanta tamen pollet vi in cursu spirituum proficiendo ob rationem supra datam, ut alterius objecti motus determinatio simul contingat. Sic canis venaticus videns perdicem illicò gradum sistit, & motu caudæ passionem suam exprimit: hinc duos deprehendimus motus, unus est à natura, nempe ut prædam prosequatur, sed alter consuetudine & comminationibus introductus fortior est; nam modus informandi hic est, apponitur cani perdix, & quoties vim inferre conatur, excipitur verberibus, manibus verò tenetur, ne aufugiat, hinc fit, ut duæ impressiones jungantur, & canis postmodum ad perdicis conspectum vi spirituum ad eundem motum & situm partium subeundum cogatur. Hoc si aliis brutorum actionibus explicandis applicare velis, assertio nostra erit in vado. Sed properandum nobis est ad *argumentum tertium*, quo adversarii sententiam suam corroborare satagunt. Illud petitur est ab antiquitate. Nemo, dicunt, unquam hac de re dubitavit, cum ipsa natura nos doceat, bruta aliquali prædita esse cognitione. Ecquis dubitabit de veritate rei, quam ipsa natura nobis suggerit? quis vel infantibus persuadebit, bestias non sentire, cum videant illas easdem ferè & similes quotidie edere actiones; profecto nova hæc est
in

inaudita sententia videtur vim inferre sensui communi. Bruta habent oculos, neque tamen vident, aures habent, neque tamen sonum percipiunt &c. *℞.* Nova veritas nonne etiam est veritas? Nonne multa hodie in aprium deducta sunt, quæ per tot secula ignorantiae tenebris involuta & sepulta jacuere, neque tamen minus vera sunt, quam antiqua, modo ab illis qui præjudiciis non sunt contaminati, clarè & distincte percipi possint. Sic nemo persuadebit infantibus, dulcedinem non præexistere in saccharo, & calorem in igne non esse similem sensui in nobis producto, nec tamen hæc sententia propterea malè audit, vel ab adversariis falsitatis argui potest. Et quid de motu terræ dicam. Nonne hæc *Copernici* sententia primò ab omnibus ferè cachinnis excepta, & ceu doctrina sanè rationi & experientiae reclamans proscripita fuit, verum cum paulò mitius tractari cœperit, rationibus æquâ lance trutinatis multorum clarissimorum virorum calculo fuit approbata, & plures fortè hodiernò hoc essent tempore, qui eam palàm defendendam susciperent, si argumenta illa evitare possent, quæ *Ptolomaici* ex S. Scriptura mutuuntur, cum nihil ab intellectu amplius excogitari possit, quod doctrinæ huic contrarietur, nisi hoc unicum, in scripturâ mentionem fieri motus solis & quietis terræ. Facile itaque largior hanc de anima cogitante brutorum doctrinam annosam esse, & præjudiciorum situ obductam, alteram econtrâ de carentia sensuum in brutis novam quidem esse, sed rationi magis congruam. *Ultimum* tandem argumentum Scripturæ autoritate nititur, quæ brutis cognitionem aliquam tribuit. *℞.* Scripturam per scripturam esse interpretandam. Ast nuspiam mentio fit alicujus substantiæ facultate cogitandi præditæ, quæ materiæ ceu absolutum ens superaddita sit, cum de ea viri illi qui ex instinctu & afflatu Spiritus sancti locuti sunt, ne cogitarint quidem.

C

Imò

Imò *Psalmo 32.* expressè monemur, ne similes simus bestiis vel equis, quæ intellectum & rationem non habent: Adeoque Scriptura potiùs negat brutis rationem & ex ea procedentem docilitatem, quæque proinde non rationibus & verbis, ut signis quibus intellectus excitatur & eruditur, sed freno & verberibus (motibus localibus) coercenda sunt, ut tibi pareant: Secus ac cum homine rationis compote & docili agi solet. Hinc est, quod divus Petrus illa vocet ἀνοία ζῶα & animalia muta & ἀφωνα, quæ licet sonum edant, verba tamen non proferre, quibus ut conceptuum signis mentem indicent. Sed concludo verbis *Heidani.* Videant ergò, quibus propriam excellentiam & decus ita prostituere lubet, ne se pares faciendo brutis, & tam exigua distantia ab illis se jungendo etiam justo Dei judicio paulatim fiant, quod esse volunt, sicut equus & mulus in quibus non est intellectus. Et quisquis intellectus esse potest in re corporea, in materia extensa, in igne, æthere aut sanguine? an extendi, moveri, in mille figuras diversitari, est percipere, intelligere, judicare, velle, meminisse, imaginari, sentire? An fortè, cum corpus in punctum cogitur, fit perceptio; cum lineam rectam ducit aut curvam, tum fabricatur enunciationes veras vel falsas vel dubias; cum circulus aut semicirculus aut etiam triangulus ducitur, tum struit Enthymema vel syllogismum, & si ille à figura paulum deflectat, tum oritur sophisma? Quis hæc sine indignatione & risu proferri audit?

TANTUM.



MAN



MANTISSA.

I.

Non dantur qualitates reales in mundo Philosophico.

II.

Mundus est indefinita extensionis.

III.


Plures dari mundos manifestam implicat contradictionem.

IV.

Corpora colorata dicuntur, tum quæ radios luminares reflectunt in oculos, tum quæ radios inter oculum & objectum fluctuantes absorbent. Illa sensationem produciunt motum inferendo, hæc motum sistendo.

V.

Ergo corpora nigra videntur, quamvis nullos reflectant radios: afficiunt enim oculos, non motum inferendo, sed motum sistendo.



Gleichwie der Ketten-Ring mit allen den Gelencken
Ganz unzertrennlich starck sich in einander schrencken/
Gleichwie das lohe Feuer nicht ohne Rauch kan seyn/
Das grosse Himmels-Liecht nicht sonder Strahl und Schein;
So bleibet Ehr und Lob auch nimmer abgerennet
Wo man mit ernstern Fleiß zur Tugend sich bekennet/
In finster-braunen Nacht belobte Künste übt
Und unverdroßner Fleiß der Stummen Lehre liebt

Ch



Eh als des Phoebus Glanz am blauen Himmel pranget
 Und noch der Perlen Thau am Baum und Blättern hanget/
 Wann mit der schwarzen Nacht ihr Treffen ist verricht
 Die Morgenröht/und bringet beliebtes Tages-Liecht.
 Wann ander' irrig gehn/versehn Parnassus Strassen/
 Uedles träges Sinns der Tugend-Bahn verlassen/
 Bleibt dannoch unberingt auff der betreten Bahn;
 Solch überirdisch Geist begehret Wolcken an.
 Er dringet eilends durch bis daß er dort erstiegen
 Den Gipfel höchsten Ruhms/sein Muht will nicht erliegen/
 Bis nach erlangter Ehr/der sauren Arbeit Lohn
 Der Edlen Tugend Zweck/der Tugendhafften Cron.
 Seht! eben dieses seht! wirds endlich Euch auch bringen/
 Sehr wehrter Freund da Ihr so Erden ab auffschwingen
 Euch höchstens untersteht/ den Tugendhafften Sinn
 Auff vorgestecktes Ziel/da Ihr verlanget hin.
 Drum müste sich zuvor der Ketten-Ring zstückeln
 Und man must' nimmer Rauch bey grossen Feuer erblicken/
 Die Strahlen-reiche Sonn blieb ehe sonder Schein/
 Eh dieses Euer Thun soll unbeebreret seyn.

Zu Bezeugung ohngefärbter Freundschaft gegen dem
 Herrn Respondenten hat dieses ringfügige auß
 wohlmeynendem Gemühte hinzusetzen wollen

J. G. Haumann.



01 A 6559


ULB Halle 3
002 936 151




Sb.

VJ 17








1. N. 7. 27
27
PHYSICÆ CURIOSÆ
ET UTILIS
MISCELLANEA,

Publico exposita examini,
PRÆSIDE
JOH. JACOBO
Waldschmidt/
Serenissimi Hassiæ Principis
Medico Cubiculari & Professore Or-

dinario : p. t. Academiae
RECTORE.
RESPONDENTE
DAN. HENRICO Hautel/
MARBURGENSEI HASSO.

Ad diem 20. Junii H. L. 2. S.



Marburgi Cattorum,
Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII, 1685.